

nam sapiētiam, quam & boni verbū
 illorum quidam nominant: & cum
 mente, intellectū, totū utrūq; mundū
 † sensibilē (intelligibilem dico & vitæ) statuere
 sunt opinati. Quū verò bonū ipsum,
 mentem & intellectum vnū quid esse,
 ac vnica simplicissimaq; substātia p̄si-
 stere adstruunt, vnicum esse rerum o-
 mnium & singularum principiū pro-
 fitentur, semper omnib⁹ adstans, cun-
 cta fouens, viuificans, excitans, com-
 plens & roborans. De quo sacer ille
 Orpheus ita cecinit:

Cuncta fouēs, atq; ipse ferēs super omnia sese.

Hinc & diuinus ipse Plato diuino
 Sole collustratus ita in Sophista ait:
 „ Animalia cuncta mortalia plantasq;
 „ & quæcunq; terra ex seminibus radi-
 „ cibus ve nascuntur, & quæcunq; ina-
 „ nimata in terra consistunt, siue lique-
 „ fieri possint siue non, nunquid ab a-
 „ lio quodam opifice fabricata quàm à
 „ Deo facta esse, cum prius nō fuissent,
 „ dicimus? An multorū doctrinā sermo-
 nesq;